



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXIV. De septimo Præcepto Decalogi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

20. *Quer.* An conficcare pudenda brutorum ex curiositate videndi semen, sit peccatum mortale? *Resp.* Affirmative, ex Diana par. 9. tract. 8. ref. 31. ubi confutat contrarium tenentes.

21. *Quer.* An sint peccatum mortale inhonesti tactus inter conjuges? *Resp.* Eos esse mortale, si sint cum periculo pollutionis; secus autem, si dictum periculum absit; prout eos non peccare, si viderem incipiant in vase indebito, at eam complerent in vase debito. Summa Diana dict. Verb. Luxuria num. 4. Tambur. in Decalog. dict. lib. 7. cap. 3. §. 5. Sed utrum Maritus possit desistere à copula, antequam seminet? Vide meas Decisiones de Pœnitentia dict. decis. 27. num. 18. ubi alii casus de his materiis.

22. *Quer.* An peccent Pictores imagines nudas pingentes? *Resp.* Eos peccare mortaliter, cum incitent homines ad Luxuriam; & idem est dicendum de mulieribus mamillas nudas deferentes. Diana par. 11. tract. 4. resol. 32.

23. *Quer.* An verba turpia, lectio obscenorum, spectatio Comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, litteræ, aut dona amatoria sint peccata mortalia? *Resp.* Cum distinctione; si fiant ex sola curiositate, sine periculo pollutionis, aut consensus in Venerem, sunt venialia. Secus verò censentur mortalia. Busemb. lib. 3. tract. 4. cap. 2. dub. 1. num. 8.

24. *Quer.* An Choreæ sint peccata mortalia? *Resp.* Si fiant sine honesto, ut lætitia, civilis recreationis; non sunt peccata: At si extet periculum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala, non sunt immunes à culpa lethali, & de his intelligunt Sancti Patres, quando contra eas loquuntur. Cajetanus Verb. Choreæ. Tambur. in Decal. d. lib. 7. cap. 8. §. 7.

25. *Quer.* Quid sit licitum Sponsis de futuro inter se ante contractum Matrimonium? *Resp.* Doctores non esse concordēs, nam alii eis concedunt tactus, amplexus, & oscula, dummodò non incidant in pollutionem. Ita Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 46. Alii verò supradicta non concedunt, nisi sint juxta consuetudinem Patriæ, & sine offensione pudoris. Ita Coton. lib. 1. Controv. 1. de Matrim. cap. 2. num. 55. & 56.

CAPUT LXXIV.

De Septimo Præcepto.

1. *Quer.* Quid vetet hoc Præceptum? *Resp.* In eo prohiberi damnum, quod causatur proximo in bonis temporalibus. Maltius d. disp. 11. num. 149.

2. *Quer.* Quot modis damnificetur Proximus in bonis temporalibus? *Resp.* Tripliter. Bona auferendo; Damna illata non reparando; & contractus iniquos perficiendo. Et in his modis præter labem culpæ extat obligatio restitutionis. Maltius ibidem num. 150.

3. *Quer.* Quot modis bona auferantur?

Resp. Dupliciter. Vel clam, & dicitur Furtum. Vel per vim, & dicitur Rapina; quod si res sit sacra, vel in loco sacro ad cultodiam deposita, insurgit alia species peccati, nempe Sacrilegium. Tambur. in Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 1.

4. *Quer.* Quid sit Furtum? *Resp.* Est occulta, & injusta rei alienæ ablatio, invito domino, causa lucri faciendi facta. Tambur. ibid.

5. *Quer.* Quale peccatum sit Furtum? *Resp.* Est peccatum mortale, nisi excuset parvitas materiæ. Maltius d. disp. 11. num. 153.

6. *Quer.* Quæ quantitas requiratur in furto, ut culpa sit mortalis? *Resp.* Eam non esse metiendam mathematicè, sed moraliter; & ex circumstantiis personæ, cui sit ablatio. Ideo tunc erit mortale peccatum, si grave damnum inferatur proximo, vel charitas Christiana graviter lædatur; ut si quis furaretur rem non magni valoris, sed valde charam Domino, ita, ut gravem molestiam pateretur ex ejus ablatione, vel ei summè necessariam, ut acum sutori. Tambur. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 2. & Maltius d. disp. 11. num. 156.

7. *Quer.* An peccet Uxor pecuniam furripiendo marito, pro necessitatibus domus; Vel famuli faciendo eleemosynam de bonis Dominorum suorum? *Resp.* Negative, quando nimia non sit quantitas, vel gravis lamentatio Domini, aut molestia ob rem ablatam. Tambur. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3.

8. *Quer.* An peccet, qui in extrema necessitate constitutus furatur? *Resp.* Negative. Tambur. dict. lib. 8. in Decal. cap. 6. §. 1.

9. *Quer.* An peccet, qui furatur, ut suum creditum sibi compense? *Resp.* Negative, quando absque magna difficultate non poterat suum creditum exigere. Tambur. dict. d. lib. 8. cap. 5. §. 1. 2. 3. & 4.

10. *Quer.* Quale peccatum sit, multa minuta furta committere? *Resp.* Cum distinctione. Si quis furatur modicum, modò uti, modò alteri, ex accidenti, non peccat mortaliter. At si ex deliberata intentione ditescendi; licet executio sit tantum ex se venialis, tamen talis intentio facit peccatum mortale; & sic non excusantur futores, qui solent unicuique particulas panni surripere; neque mercatores, qui aliquid retinent in mensuris, vel in ponderibus in quacunque venditione. Tambur. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 1. & 2.

11. *Quer.* An supradicti excusentur à mortali in aliquo casu? *Resp.* Excusantur in tribus. 1. Si non ex usu, sed ex accidenti id faciant. 2. Si sic agant ad justum pretium consequendum, quod alias non possent obtinere. 3. Si sint in extrema necessitate. Tambur. d. §. 2.

12. *Quer.* An peccent mortaliter, qui plures committunt singulatim furta minuta, ex quibus grave damnum Domino resultet? *Resp.* Aut omnes conspirant in damnum Domini; & peccant mortaliter; ut si plures vadant in eandem vineam, ut uvam auferant. Aut non conspirant in hoc: sed quilibet vadit

dit de per se ; & tunc non censetur peccatum nisi veniale. Tambur. *dict. cap. 3. §. 3.*

13. *Quer.* Qualia peccata sint furta domesticorum, vel amicorum ? *Resp.* Si fiant in quantitate notabili ; & res non consumetur in opere, ad quod alias ipse Dominus erat obligatus, vel obligandus, peccata mortalia erunt. Ideo talia censentur furta uxorum, filiorum, vel parentum, qui notabilem rem surripiunt, & male expendunt. At non talia, si in re necessaria domus, vel suæ personæ eam convertunt. Tambur. *dict. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 3. in fine.* Porro, notanda sunt tres Propositiones damnatae ab Innocentio XI. & sunt la 36. 37. 38. quæ sic afferebant. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Item : *Famuli, & Famula domestica possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Item : *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* De earundem falsa doctrina differt Cardenas in *Crisi Dissert. 23. per totam.*

14. *Quer.* Quid sit Rapina ? *Resp.* Est acceptio rei alienæ per vim. *cap. Penale, 14. quest. 5. leg. 1. C. de Vi bonorum raptor.*

15. *Quer.* In quibus rebus committatur Rapina ? *Resp.* Secundum Canonistas committitur in rebus mobilibus, non etiam immobilibus, aut personis, quorum raptores dicuntur Prædones. Abbas in *cap. 1. de Raptorib.* Sylvester in *Verb. Rapina.* At secundum Theologos hæc non distinguuntur in foro conscientia. Et hæc est differentia rapinæ à furto ; quod illa, præter damnum, operatur etiam contemptum in Dominum rei ablatæ. Mastrius *d. disp. 11. num. 150.*

16. *Quer.* Quotuplex sit Rapina ? *Resp.* Duplex est, una explicita, quando cum armis, & violentia aufert quis rem Domino. Alia implicita, & tres sunt casus. 1. Si Potentes imponant injustas exactiones. 2. Si ipsimet cogant inferiorem ad inæqualem contractum secum in eundem. 3. Si aliquid postulent rogando, quod inferiores non audeant ob metum negare. *cap. Militare, 23. qu. 1. l. Qui catu, ff. ad leg. Juliam de Vi publica.*

CAPUT LXXV.

De Restitutione.

1. *Quer.* Quid sit Restitutio ? *Resp.* Est actus Justitiæ, quo reparatur damnum illatum proximo per injuriam ad æqualitatem rei. Dicitur Actus justitiæ, quia hæc est radix restitutionis, & ideo damna illata contra charitatem non obligant ad restitutionem ; sed quæ inferuntur contra Justitiam, scilicet violando jus, quod proximus habebat in re, vel ad rem. Item dicitur per injuriam. Quæ est duplex ; Aut Materialis tantum, ut si quis domum destruat, rem auferat, credens id sibi licere. Aut formalis, cum quis mala fide rem alienam surripit, vel damnum infert. Vel dici potest culpabiliter, & incul-

pabiliter. Dicitur ad æqualitatem rei ; quia si quis damificavit in centum ; debet ea centum restituere. Mastrius in *Theol. Mor. disp. 7. num. 3.*

2. *Quer.* Quæ sit differentia inter injuriam materiale, & formalem ? *Resp.* Quod qui intulit injuriam, damnumve materialiter tantum ; non tenetur restituere, nisi quod ex re aliena adhuc superest ; vel quantum ex ea ditior factus est. Qui verò formalem injuriam intulit, tantum tenetur restituere, quantum est damnum illatum. Tambur. in *Decal. d. lib. 8. tract. 3. cap. 2.*

3. *Quer.* An præceptum Restitutionis sit Affirmativum, vel Negativum ? *Resp.* Esse Negativum, quia mandat, rem alterius non retineri, vel damnum in bonis temporalibus non fieri Proximo suo. Ita P. Cotonius lib. 2. de *Sacrament. Controv. 9. de restitut. cap. 1. num. 6.*

4. *Quer.* An ex furtiva ferarum Venatione in loco prohibito, facienda sit restitutio ? *Resp.* Affirmat Bonacina de *restitut. quest. 3. punct. 7. num. 22.* Negat Diana *part. 9. tract. 8. resol. 39.* Quia licet quis possit prohibere Venationem in loco, tamen feræ sunt in nullius dominio. Et hæc videtur communior. Nisi essent feræ clausæ in loco murato, quia tunc essent in dominio domini illius loci. P. Coton. *dict. cap. 1. num. 10.*

5. *Quer.* An restituere teneatur, qui sine culpa damnum dedit, & non est ex eo factus ditior ? Puta si accidentaliter, & inculpabiliter aliquem offendit ? *Resp.* Aliquos affirmare, ex tit. ff. de *noxalib. Actionib.* & infert. Si quadrupes pauperem secisse dicatur. At id intelligi, si condemnatur per Judicis sententiam. Diana *part. 5. tract. 4. resol. 52.* P. Coton. *dict. cap. 1. num. 11.*

6. *Quer.* Qualis culpa requiratur ad inducendam obligationem restitutionis in conscientia ; id est, an debeat esse culpa mortalis, vel culpa venialis ? *Resp.* Quod si culpa est mortalis, absque dubio inducit obligationem restitutionis. Si sit venialis, distinguendum est : aut est venialis respectu materiæ, & obligat ad restitutionem sub pœna peccati venialis. Aut culpa est venialis respectu deliberationis ; & in hoc casu non obligat ad restitutionem, P. Coton. *dict. cap. 1. num. 13.*

7. *Quer.* Quæ, & quanta sint consideranda in materia restitutionis ? *Resp.* Novem circumstantias esse considerandas, ubi de restitutione agitur, quæ his duobus carminibus continentur :

Quis ? Quid restituet ? Cui ? Quantum ? Quomodo ? Quando ?

Ordine ? Quovè loco ? Quæ causa excuset iniquum ?

Ita Tolet. in *Summ. lib. 5. cap. 17.*

8. *Quer.* Sub illo Verbo *Quis* ? Qui sint illi, in quos cadit obligatio restitutionis ? *Resp.* Non solum ille, qui damnum dedit ; sed qui quovis modo fuit in causa, ut damnum daretur, juxta sequentes alios Verfus :

Justo, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

Participans, Mutus, non Obstant, non Manifestans.

vide Tolet. *dict. lib. 5. cap. 21.*

Q 3

9. *Quer.*